



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 418. De traditione familiæ in villa Thiedressun in pago Marungun, nec non de villis ad hunc pagum relatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

§. 417. Tradidit oddo pro propinquo suo godfcalco in baldualdun (y) XXX. iugera et I iurnalem in *aieshus* (z). et gubernante Corbeian Luidolfo.

§. 418. Tradidit thadhardus pro filio suo thiadmaro in *marungun* (a) in uico qui dicitur *thiedressun* I familiam.


§. 419. Tradidit bernhard pro filio suo uolcmaro in *amaleueshus* (b) I. mansum et I iurnalem.

§. 420. Tradidit uolcmarus pro fratre suo tiadmaro et matre eius quidquid habuerunt in *hauerga*. (c) §. 421.

(y) Villam *Baldualdun* fuisse in pago *Hessi Franconico*, docet nos abbas noster Saracho, probabiliter indicans vicum *Battenfeld*, haud procul a *Battenberg* in *Hassia* conspicuum. De villa Baldualdun in pago Hessi Franc.

(z) *Aieshus* villa collocatur ab eodem Sarachone in pago *Loginacogowe*, quem ad fluvium *Lanam*, dictum nunc *die Lahn*, in *Hassia* existisse, iam supra vidimus. Quamuis autem situm villae *Aieshus* nondum accurate definire queamus, conclusimus tamen ex situ harum villarum in *Hassia* sitarum, *Oddonem* fuisse dominum in terris *Hassiacis* prepotentem. Reputamus ergo eum pro *Ottone*, filio *Conradi IV*, ac pro nepote *Otonis I*, caesaris, ex filia. Chronologia sane huic sententiae non repugnat. Si enim *Luitgarda* *Otonis* caesaris filia, teste *Lamberto Schafnabrugensi*, nupsit *Conrado* ad annum 949, *Otto* noster in lucem suscipi potuit anno 950. Habebat igitur *Otto* anno 973, quo haec bona tradita esse videntur, aetatis annum XXIII, Pater eius *Conradus* iam anno 955. IV. id. Aug. in praelio occubuerat, uti iam supra §. 216. e Chronico nostro coetaneo docuimus. Erat autem *Otto* abbatis nostri *Luidolfi*, cui haec bona tradidit, cognatus. Si enim, uti probabilissimum est, *Luidolfus* abbas fuit filius *Hogeri* advocati *Corbeienfis* talis *Luidolfi* atque *Otonis* cognationis gradus existit.

Luidolfus dux Saxoniae vxor Oda.



Sed quis *Godfcalcus* erit, qui in traditione nostra appellatur propinquus *Oddonis*? An *Oddonis* fororius? An frater coniugis *Oddonis*? An ille *Guntheri* comitis et marchionis *Misnensis*, anno 982 mortui, frater fuit? Fortassis hoc momentum vltimum est veritati consentaneum.

(a) *Marungun* poni pro pago, res ipsa docet. Docet id praeterea Registrum *Sarachonis*, quod villam *Thiedressen* collocat in pago *Marungun*. Quam in regione hic pagus collocandus sit, indicant villae, quae eidem pago tribuuntur. Haec sunt pagi *Marungen*, a solo lutofo dicti, villae: 1) *Morunga*, testantibus diplomatibus ad annos 1016, 1075. Ipsa videtur esse *Moringen*, oppidum in principatu *Gotingensi*. 2) *Thiedressen*, quae erit *Dentenissen*, villa desolata in eodem principatu, olim iter dimidiae horae ab oppido *Moringen* sita, et 3) *Holtbusan*, quae item villa desolata, quondam dicta *Holtensen*, et in praefectura *Moringen* reperta est. De *Thadbaro* eiusque filio *Thiadmaro* egimus supra §. 104. not. (1) conf. infra §. 439.

(b) *Amaleueshusa* erat in pago *Suilbergi* sita, abbate *Sarachone* teste in Registro. Designatur vicus *Amelsen* in praefectura *Hundesrueck*, olim in comitatu *Dasseliensi*, veshus hodie autem in *Hildesiensi* episcopatu. De *Bernhardo* conf. supra §. 104. not. (1). De villa Amaleueshusa in pago Suilbergi.

(c) Villa *Hauerga* in nostro Registro non reperitur. Nescimus ergo an sit vna eademque cum *Hauerga*, quae teste diplomate *Heinrici* regis ad annum 1011 erat in comitatu *Haholdi* posita, an vero sit alia. De villa Hauerga.